



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 159. Vtrum ius benè diuidatur in naturale, & positium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

QVÆSTIO CLIX.

*Verum ius bene diuidatur in naturale,
& positium?*

S. Thom. quæst. 57. art. 2.

1. **V**idetur non bene diuidi. Ius enim diuinum neque est naturale, cum quoad multa sit supra naturam, neque est positium, cum non sit positum ab hominibus, prout requiritur ad ius positium: ergo diuisio iuris in naturale, & positium non est adæquata, ac proinde non est bona.

2. Respondeo ex Aristotele 5. ethic. cap. 7. quem sequuntur omnes, ius diuidi in naturale, ac legitimum, siue positium. Ius naturale est, quod quia pendet ex ipsa natura rerum, non autem ex decreto, vel opinione hominum, vbique gentium habet eandem vim, ideoque est vbique seruandum. Ex gra. est ius naturale, vt neminem lædamus; vt depositum reddamus &c. Quod enim hæc sint facienda, pendet ex ipsa natura, non autem ex decreto, vel opinione hominum, ideoque vbique gentium homines habent ius actiuum, ne lædantur sine causa, vt depositum reddatur &c. & vbique tenentur neminem lædere, depositum reddere &c. Ius legitimum, seu positium est, quod quia non pendet ex ipsa natura, sed ex decreto, & opinione hominum, non vbique, neque semper habet eandem vim, nec est vbique seruandum, imò tale est, vt antequam aliquid statuatur, nihil referat, an operemur vno, vel alio modo; postquam verò fuerit statutum, referat. Tria exempla iuris positui affert Aristoteles. Primum est, Apud Lacedæmonios lata fuit lex, vt captiui redimerentur vna mina, seu libra argenti. Posita hac lege, Lacedæmones tenebantur redimere captiuos vna mina, sed hæc obligatio non fundabatur in ipsa natura, sed in decreto Lacedæmonum, ideoque apud alias gentes non dabatur talis obligatio. Secundum exemplum est Thebæorum in Ægypto, qui statuerunt, vt Dijs sacrificaretur vna capra, non autem duæ oues. Tertium exemplum est amphibolarum, qui statuerunt diuinis honores Brasidæ Imperatori Lacedæmonio, qui in bello fortissimè pugnans occubuerat. Sunt autem de iure positio, quæ publicis decretis statuuntur.

Verum, quia ex dictis quæst. 155. ius sumitur tripliciter: primò pro iure actiuo: secundò pro ipsa lege: tertio pro iure passiuo, inductione exemplorum probandum est ius in omnibus istis tribus acceptionibus diuidi in naturale, & positium.

3. Primo pater ex natura rei habet potestatem gubernandi filios, eisque præcipiendi in bonum ipsorum filiorum; sed hæc potestas est quoddam ius actiuum saltem imper-

fectæ iurisdictionis: ergo datur aliquod ius actiuum naturale saltem imperfectæ iurisdictionis. Reges, Principes, Magistratus &c. potestatem iurisdictionis obligandi subditos in bonum subditorum habent, non ex ipsa natura rei, sed ex libera Dei, vel hominum voluntate, & electione, qua constituuntur: ergo ius iurisdictionis, quod datur in Regibus, ac Magistratibus &c. non est naturale, sed positium. Proportionaliter vnusquisque in fauorem proprium habet potestatem obligandi alios, ne sibi auferant vitam, vel famam, ne se mutilent, ne impediant à motu membrorum, à sumendo cibo, & potu &c. sed hæc potestas obligandi alterum in fauorem obligantis est ius proprietatis: ergo datur ad hæc ius naturale proprietatis. Dominus agri habet potestatem obligandi alios, ne transeant per suum agrum &c. sed hanc potestatem non habet ex natura rei, sed ex libera voluntate hominum, qui diuiserunt agros, & alias res corporeas: ergo dominus agri habet ius proprietatis, non naturale, sed positium in suum agrum: ergo ius actiuum, tum proprietatis, tum iurisdictionis diuiditur in naturale, & positium.

4. Secundò ex ipsa natura rerum, & obiectorum datur lex obligans homines ad colendum Deum, ad non blasphemandum, non peierandum, ad honorandos parentes, ad non committenda homicidia, adulteria, furta &c. sed lex obligans ex ipsa natura rerum, & obiectorum, est ius naturale: ergo &c. Rursus leges obligantes ad audiendum sacrum in die festo, ad comedendas carnes tempore quadragesimæ &c. obligant, non ex ipsa natura rerum, sed ex libera voluntate hominum; ergo spectant ad ius, non naturale, sed positium, ac proinde ius, in quantum sumitur pro lege, diuiditur in naturale, & positium.

5. Tertio quædam dicuntur legaliter iusta, quia sunt æqualia, & conformia legi, seu iuri naturali: quædam dicuntur legaliter iusta, quia sunt æqualia, & conformia legi positivæ: sed quæ sunt legaliter iusta, quia sunt æqualia, & conformia legi naturali, sunt iusta naturalia: quæ sunt legaliter iusta, quia sunt conformia, & æqualia legi positivæ, sunt iusta positivæ; ergo etiam ius passiuum, in quantum sumitur pro legaliter iusto, diuiditur in naturale, & positium. In hoc sensu qui colit Deum, & honorat parentes, & obseruat alias leges naturales exequitur ius, seu legaliter iustum naturale: qui audit sacrum diebus festis exequitur ius, seu legaliter iustum positium. Proportionaliter qui dat alteri id, quod debet iure stricto naturali, exequitur ius passiuum, seu iustum naturale: qui dat quod debet iure stricto positivo, exequitur iustum positium. Rursus iustum naturale dicitur, quod ex natura rei est æquale illi, quod debetur iure stricto: iustum positium dicitur, quod non ex natura

rei, sed ex libera hominum institutione est æquale ei, quod debetur iure stricto: ex. gra. si quis debet modium frumenti, & dat modium frumenti, dat iustum, & æquale naturaliter: at qui debet modium frumenti, & dat pecuniam, quæ non ex natura rei, sed ex libera hominum institutione est æqualis modio frumenti, dat iustum, non naturaliter, sed positiuè.

6. Infertur primo, quid sit ius naturale, quid positiuum. Ius naturale est, quod oritur ex ipsa natura rerum, itaut posita natura rerum, naturaliter resultet. Ius positiuum est, quod non oritur ex natura rerum, sed ex libera voluntate Dei, vel creaturarum rationalium.

7. Infertur secundo, quod ea, quæ prohibentur lege naturali, non sunt indifferentia ad hoc, vt prohibeantur, vel non prohibeantur, sed exigunt prohiberi. E conuerso quæ prohibentur lege positua, sunt indifferentia ad hoc, vt prohibeantur, vel non prohibeantur. Ratio est, quia lex naturalis prohibens aliquod obiectum naturaliter resultat ex natura talis obiecti; sed si obiectum ex natura sua esset indifferens, vt prohiberetur, vel non prohiberetur, prohibitio non resultaret naturaliter ex natura obiecti; sed ex libera voluntate prohibentis: ergo obiectum, quod prohibetur lege naturali, non est indifferens, sed exigit prohiberi. E conuerso lex purè positua prohibens obiectum non resultat ex natura obiecti, sed ponitur ex libera voluntate prohibentis; sed si obiectum non esset indifferens, sed exigeret prohiberi, prohibitio resultaret ex natura obiecti: ergo &c. Ex proportionali ratione quæ præcipiuntur lege naturali, non sunt indifferentia, sed exigunt præcipi: quæ præcipiuntur lege purè positua, sunt indifferentia. Dixi, quæ prohibentur lege purè positua esse indifferentia; nam aliquando lege positua prohibentur noua prohibitione, quæ iam prohibita sunt lege naturali, ex. gra. homicidia, furta &c. quæ proindè non sunt indifferentia.

8. Infertur tertio, quæ prohibentur lege naturali esse intrinsecè mala: quæ prohibentur lege purè positua, non esse intrinsecè mala. Ratio est, quia intrinsecè malum dicitur, quod non est indifferens, sed exigit prohiberi: quæ autem sunt indifferentia, non sunt intrinsecè mala: sed ex dictis quæ prohibentur lege naturali non sunt indifferentia, sed exigunt prohiberi; quæ prohibentur lege positua sunt indifferentia: ergo &c. Proportionaliter quæ præcipiuntur lege naturali sunt bona intrinsecè, & moraliter necessaria, vt fiant: quæ præcipiuntur lege positua, non sunt intrinsecè moraliter necessaria, vt fiant.

9. Infertur quarto, quod quæ prohibentur lege naturali, ideo prohibentur, quia ante prohibitionem sunt intrinsecè mala, vt fiant, non ideo sunt primò mala, vt fiant,

quia sunt prohibita. At quæ prohibentur lege purè positua, non ideo prohibentur, quia antecedenter sint intrinsecè mala, vt fiant, cum potius sint intrinsecè indifferentia, sed ideo sunt primò mala, vt fiant, quia sunt prohibita. Probat: nam quæ non sunt indifferentia, sed antecedenter ad prohibitionem exigunt prohiberi, antecedenter ad prohibitionem sunt intrinsecè mala, vt fiant, & ideo prohibentur, quia sunt intrinsecè mala, ac proindè non ideo sunt primò mala, vt fiant, quia sunt prohibita; sed quæ prohibentur lege naturali non sunt indifferentia, sed exigunt prohiberi: ergo &c. At quæ sunt indifferentia, vt prohibeantur, vel non prohibeantur, antecedenter ad prohibitionem non sunt intrinsecè mala, vt fiant, sed ideo primò sunt mala, vt fiant, quia sunt prohibita; sed quæ prohibentur lege purè positua, sunt indifferentia: ergo &c.

10. Infertur quinto, quod licet quæ prohibentur lege naturali, antecedenter sint intrinsecè mala malitia, qua exigunt prohiberi, tamen per hoc ipsum, quod prohibentur, acquirunt nouam malitiam moralem, quæ sola est inhonestas formalis, cum illa alia antecedens sit inhonestas solim fundamentalis, vt dixi quæst. 18. de actibus humanis.

11. Ad argumentum in contrarium: ius diuinum, in quantum præcipit, ac prohibet ea, quæ non sunt indifferentia, sed naturaliter exigunt præcipi, ac prohiberi, est ius naturale; in quantum prohibet, ac præcipit quædam indifferentia, est ius positiuum; siquidem ad ius positiuum non requiritur, vt sit positum ab hominibus, sed sufficit, vt sit liberè positum vel à creaturis, vel à Deo, dum modo præcipiat, ac prohibeat indifferentia. Vt igitur aduertit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 57. artic. 2. ad 3. ius diuinum dicitur, quod est promulgatum à Deo, ac diuiditur in naturale, quo præcipiuntur, ac prohibentur, quæ non sunt indifferentia, sed exigunt prohiberi, vel præcipi, & in positiuum, quo præcipiuntur, vel prohibentur indifferentia. Ex. gra. ius diuinum, quo Deus præcepit ludæis, ne comederent carnes porcinas, fuit merè positiuum, sicut de facto est merè positiuum ius, quo præcepit Christianis, ne offerant aliud sacrificium, quam Eucharisticum. Hinc sequitur ius diuinum esse genus ad ius naturale. Ratio est, quia omne ius naturale est similitudine diuinum, at non omne ius diuinum est etiam naturale, cum aliquod ius diuinum non sit iuxta, sed supra exigentiam naturæ.